

***Acta Tribunalium Sanctae Sedis.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal.
Sentencia definitiva, 16 noviembre 2011.
Remoción de la parroquia****

Prot. N. 44136/10 CA

N.

Amotionis a paroecia

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno VII, die XVI novembris MMXI, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto et Ponente*, Carolo Card. Caffarra, Paulo Card. Sardi et Velasio Card. De Paolis, C.S. atque Exc.mo ac Rev.mo D.no Stanislao Zvolenský, intervenientibus Cl.mo Andrea Errera, utpote Patrono Rev.di Recurrentis, Cl.mo Carolo Gullo, tamquam Patrono Congregationis

* Traducción por Pablo E. Lamata Molina (UESD).

pro Clericis, atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

I. FACTI SPECIES

1. Die 1 augusti 2003, Rev.dus D.nus X nominatus est parochus paroeciarum in parte v.d. "Z" Dioecesis N.. Eo frustra in diem 16 aprilis 2009 convocato, Exc.mus D.nus W, tunc Episcopus N., litteris die 11 iunii 2009 denuo eidem scripsit de necessitate colloquii habendi de futuro eius ministerio. Rev.dus X denique die 16 iulii 2009, duobus membris consilii episcopalis praesentibus, coram Exc.mo Praesule comparuit, qui exquisivit ut officio parochi renuntiaret. Die autem 25 iulii 2009 Rev.dus X scripto officio renuntiare recusavit, et deinde Exc.mus Episcopus, post discussionem amotionis propositae cum duobus parochis e coetu, de quo in c.1742, §1, die 3 augusti 2009 habitam, undecim rationibus adductis, die 4 augusti 2009 Rev.dum X iterum scripto invitavit ut intra diem 20 augusti 2009 renuntiationem daret aut argumenta contraria exhiberet. Prorogatione temporis ad respondendum, Rev.do X petente, ad diem 3 septembris 2009 concessa, Rev.dus X die 1 septembris argumenta propria obtulit, quae Exc.

mus Episcopus primum cum consilio episcopali et dein cum praedictis parochis, de quibus in c.1742, §1, die 5 septembris 2009 examinavit. Die 30 octobris 2009 tandem Exc.mus Episcopus amotionem Rev.di X ab officio parochi paroeciarum in parte v.d. "Z" decrevit.

2. Die 11 novembris 2009 Rev.dus Recurrens remonstrationem contra decretum amotionis apud Exc.mum Episcopum porrexit, qui id autem die 27 novembris 2009 confirmavit. Rev.dus Recurrens tunc die 1 decembris 2009 recursum coram Congregatione pro Clericis interposuit et die 19 decembris peramplam defensionem, 186 paginas complectentem, ad eandem Congregationem transmisit. Praefatum Dicasterium deinde die 30 martii 2010 prorogationem temporis ad responsum dandum usque ad diem 20 aprilis 2010 cum Rev.do Recurrente scripto communicavit, ea mente ut Exc.mus Episcopus ad normam c.1746 Rev.do X assignatione alius officii provideret, urgens eundum ad spiritum sinceram et filialis collaborationis cum Exc.mo Episcopo demonstrandum. Exc.mus Episcopus

inde die 21 aprilis 2010 novum officium in Archidioecesi A Rev.do Recurrenti proposuit, quod die 26 aprilis 2010 ipse scripto reiecit. Eodem die vero litteras ad Congregationem pro Clericis dedit, petens ut cognoscere valeret rationes et testimonia ab Exc.mo Episcopo allata pro amotione, adeo ut se apte defendere posset. Congregatio autem pro Clericis decreto diei 18 maii 2010, quod Rev.dus Recurrens die 1 iunii 2010 recepit, recursum reiecit.

3. Rev.dus Recurrens tandem diebus 8 et 11 iunii 2010 ad H.S.T. provocavit, et insuper Cl.mus Patronus eiusdem die 2 septembris 2010 suspensionem executionis Decreti petiit, quam suspensionem die 6 septembris 2010 Exc.mus H.S.T. Secretarius negavit. Receptis memorialibus Patronorum partium et voto Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti, in Congressu diei 16 februarii 2011 recursus admissus est ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus. Die 12 martii 2011 hoc dubium concordatum est: An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 18 martii 2010. Cui dubio nunc, omnibus peragendis rite peractis, respondendum est.

4. Interim die 24 iunii 2011 Exc.mus Episcopus N. ad Sedem B translatus est, cuius Sedis possessionem die 29 septembris 2011 cepit. Die 23 septembris 2011 Exc.mus D.nus C, Episcopus Emeritus D, Administrator Apostolicus Dioecesis N. nominatus est. Exc.mus H.S.T. Secretarius tunc epistula diei 8 octobris 2011 eum de recursu et de sessione Em.morum et Exc.morum Iudicum ad decisionem definitivam ferendam mox habenda certiore fecit.

II. IN IURE ET IN FACTO

Quaestio praeliminaris de nominatione ad tempus indefinitum

5. In relatione de sessione Exc.mi Episcopi cum duobus parochis, de quibus in c.1742, §1, die 3 augusti 2009 habita, mentio facta est de sexennio a Rev.do Recurrente in officio parochi in regione v.d. "Z" expleto. Decretum autem nominationis, factum quod Exc.mus Episcopus processum de quo in cc.1740-1747 adhibuit necnon firma assertio Rev.di X quod ad tempus indefinitum nominatus

erat, indicant praefatam nominationem reapse fuisse ad tempus indefinitum.

De asserta violatione legis in decernendo

6. Assertitur haberi violationem legis in decernendo ex parte Congregationis pro Clericis, cum ipsa decreto diei 18 maii 2010 asseruerit proceduram ad parochum ab officio amovendum ab Exc.mo Episcopo servatam fuisse et causam ad eundem amovendum de qua in c.1741, n.1, probatam esse, scilicet modum agendi ex parte Rev.di Recurrentis qui “ecclesiasticae communioni grave detrimentum vel perturbationem afferat”.

7. Quoad primam affirmationem, Rev.dus Recurrens iterum iterumque petiit ut ipse acta processus inspicere posset. In omnibus vere communicationibus Exc.mi Episcopi cum Rev.do Recurrente nulla invenitur invitatio ad acta inspicienda, de qua in c.1745, n.1. Verum est quod Rev.dus Recurrens perample ad undecim rationes, quas Exc.mus Episcopus in epistula diei 4 augusti 2009 Rev.do Recurrenti indicavit, in defensione coram Congregatione pro Clericis respondit, sed usque ad ultimam communicationem

cum Congregatione, scilicet usque ad epistulam diei 26 aprilis 2010 ipse petiit ut sibi occasio acta causae inspiciendi daretur.

Congregatio pro Clericis ad quaestionem de occasione acta inspiciendi Rev.do Recurrenti non data nihil animadvertit in Decreto quo recursum reiecit, sed affirmavit Exc.mum Episcopum leges procedurales de amotione, scilicet cc.1740-1747, observasse. Ex actis autem patet Exc.mum Episcopum violasse legem in procedendo, quia numquam Rev.dum Recurrentem invitavit ad acta causae inspicienda, uti c.1745, n.1 exigit, et consequenter Congregationem pro Clericis legem in decernendo violasse, quia minime talem carentiam fundamentalem in procedendo ex parte Exc.mi Episcopi notavit vel ei remedium praestitit, sed contra decrevit Exc.mum Praesulem ad normam legis processisse.

8. Quoad assertam illegitimam disceptationem diei 3 augusti 2009 cum coetu parochorum, de quo in c.1742, §1, animadvertendum est declarationem Rev.di E, unius ex istis parochis, graviter secretum servandum, de quo in c.127, §2, n.3, violasse, ideoque admittendam non esse. Praetermissis

obiectionibus Rev.di E de modo et substantia disceptationis, haud dubitandum est Exc.mum Episcopum consilium parochorum de causis scripto eis communicatis exquisivisse, sed ipse minime, secundum normam c.127, §2, n.2, tenebatur ad tale consilium absolute sequendum, sed pro suo iudicio et conscientia decisionem libere ferre debebat. Cum hac de re haudquaquam probetur violatio legis in procedendo ex parte Exc.mi Praesulis, consequenter ad rem de errore Congregationis fieri nequit sermo.

9. Rev.dus Recurrens de diversis causis ad suam amotionem decernendam ample disputat. Verum est quod in variis documentis Exc.mi Episcopi numerus causarum diversus est, ipse scilicet, processu ad parochum amovendum incepto, undecim causas adduxit, sed in decreto amotionis de eis tantum per remissionem mentionem fecit, minus recte novam causam adducens, nempe minas contra Vicarium generalem prolatas. Congregatio pro Clericis vero unicam causam retinuit, scilicet modum agendi “qui ecclesiae communioni grave detrimentum vel perturbationem afferat” (c.1741, n.1). Recte Rev.dus Promotor

Iustitiae Substitutus contendit aliquas saltem causas, de quibus in epistula Exc.mi Episcopi diei 4 augusti 2009, demonstrasse praedictum modum agendi, speciatim n. 10 de publica oppositione Rev.di Recurrentis contra Exc.mi Episcopi gubernium pastorale. Quae cum ita sint, nullo pacto sustinetur Congregationem legem violasse, cum statuerit iustam causam amotionis in casu probatam esse.

De asserta violatione legis in procedendo

10. Recursus hierarchicus a Superiore hierarchico pertractandus est ad normam cc.1737-1739 coll. cum cc.50-51. Ex actis haudquaquam constat de ulla violatione legis in procedendo ex parte Congregationis pro Clericis in recursu pertractando.

III. CONCLUSIO

11. Omnibus in iure et in facto aequanimiter, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum praeculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in decernendo, in casu, eo quod Congregatio erronee decrevit Exc.mum Episcopum praescripta legis in procedendo servavisse.

NEGATIVE, seu non constare de violatione legis in procedendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 18 maii 2010.

Pro expensis processualibus retinetur cautio in arca H.S.T. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Hanc Definitivam Sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die XVI novembris MMXI.

Raimundus Leo Card. BURKE,
Praefectus et Ponens
 Carolus Card. CAFARRA
 Paulus Card. SARDI
 Velasius Card. DE PAOLIS, C.S.
 + Stanislaus ZVOLENSKÝ

Et notificetur

Die 23 ianuarii 2012

+ FRANCISCUS DANEELS, O. Praem.,
Secretarius
 Paulus MALECHA,
Praepositus Cancellariae